

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Conradi Samvelis Schvrzfleischii Opera historica politica**

**Schurzfleisch, Konrad Samuel**

**Berolini, 1599 [i.e. 1699]**

V. Propos. Histor. Chronol. (De Olympiad)

**urn:nbn:de:bsz:31-102564**

§. XII. Herodes vero ut versutus et callidus, sic a natura factus ad dominacionem, quam etsi non iure, sed vi obtinuit, tamen omnes improborum civium conatus fregit feliciter et superavit. Proinde nullum incendium excitatum est, quod is non sanguine autorum restinxerit, vel sedarit. Cumque Pharisaei aperte recusarent obsequium, et sacramentum palam detrectarent, caedibus saevitum est, nec aliquis facile extitit, qui manus sanguinarii et effferati Regis evitaret. Testatur illud interitus eorum omnium, qui tumultuantibus duces et antesignanos se praebuerunt, iratori fane fato, quod existit in capita ipsorum vertit, turbulentosque delevit funditus et subvertit, qui neque sibi temperare, neque alios rectius gubernare potuerunt.

§. XIII. Quamobrem nihil non audebant, et erexit iam sibi, postquam e servitute videbantur, ultima experiri volebant, ne denuo subire iugum, et nutu alieno vivere, atque externas leges accipere cogerentur. Sed enim vero omnia finistris auspiciis coepta pariter ac gesta sunt, novaque machinatio materiam cladi recenti, occasionemque sanguini profundo semel atque iterum dedit. Mitto reliqua, et supersedco dicere extrema, quoniam immanitate constant, et calamitate movent, adeo ut sine lachrymis non modo non repeti, sed ne commemorari quidem possint.

## V. PROPOS. HISTOR. CHRONOL. (DE OLYMPIAD)

**O**lympiades sunt *tetraestimoides* tametsi interdum *quinquemoides* appellari solent, praesertim a Poetis, qui licentia artis excusantur. Ovidius lib. IV. ep. 6. ex Ponto. In Scythia nobis quinquennis Olympias acta est. Vbi auctor notarum non satisfecit muneri, et minus accurate exposuit hanc vocem.

§. II. Sed nec ipsi Oratores id semper observant, et recessunt interdum, neque subtilitati student, et quinqvennale tempus hoc vocabulo appellant. Cicero in lib. III. de Oratore, qui a celebri Chronologo perperam citatur Tusculan. I. Vbi causae servit orator, denotatque annum praeteritae Olympiadis, non autem periodum Olympicam definit, quippe quod negotium iis datum est, qui temporis supputandi artem tractant,

§. III. Graeci quoque historiarum conditores locuti sunt laxius, et ludos Olympicos semel atque iterum *quinquennales* vocarunt. Inter hos Pausanias indicat, quarto quoque anno finito, actos fuisse hos ludos. Cicerio hoc temporis spatium, *quinquennali* celebritate designavit, eaque de causa pasim

pasim appellati sunt qvinqvennales. Hinc Patisaniae sententiam iisdem verbis exprimit Romulus Amasaeus, quam simplicius vertas. *Quinto igitur quoque anno constituit haberi ludos; Hoc enim sonant verba. Διὰ πέντε ετῶν ἀντὸν αὐτὸν (αγῶνα) κατεῖχοντα ἄγεθα.* in Eliacis I. Proinde interpretes plerique, non improbante Syiburgio, πανήγυρι τῆς Ολυμπίης, reddunt qvinqvennalem Olympiae celebritatem, qvos magistri huius artis seqvuntur.

§. IV. Qvod non eo valet, ut Olympias lustro Romanorum aequalis sit, et qvinqve annis definiatur. Cuius sententiae cum permulti sunt, tum princeps huius doctrinae Iosephus Scaliger, qui ab eo tempore, qvo ludicrum hoc celebrari desiit, parem Olympiadis, atqve lustri Juliani, rationem fuisse arbitratur. In qvo et refragatur antiquitati, et movet terminos, Graecorum Latinorumqve auctoritate fixos, *i. V. de emendatione temp.* Contra quem accurate differuit D. Peravius, et qvibus par est finibus hoc temporis spatium circumscriptis, *lib. IX. de doctrina temp.* Neque sibi satis constat Henricus Glareanus, qvum existimat hoc intervallum, qvod Olympias significat, apud Romanos vocari lustrum, *in Chronologia Romana.*

§. V. Illud omnino affirmandum est, annum, qvo seqvens Olympias inchoatur, qvintum dici, qui tamen revera est annus primus Olympiadis seqventis. Magistri artis, qui temporum rationes conficiunt, plane breviterqve explicant, et periodum hanc, sive spatium, qvod Olympias dicitur, ab anno Olympiadico distingunt. Nam periodus ipsa qvatuor duntaxat annos continet, annus autem qvintus dicitur Olympadicus, qui tamen non erat qvintus Olympiadis praecedentis, sed primus seqventis. Longe alia fuit ratio lustri Juliani, qvod qvinto quoque anno exunte condebatur, spatiumqve annorum qvinqve solidorum plerumqve comprehendebat. *Qvo in negotio conferre licet Livium cum Dionysio Halicarnasseo.*

§. VI. Ceterum Olympiades nomine suo originem indicant, quam acceptam ferunt ludis Olympicis, qui qvinto quoque anno, magna totius Graeciae celebritate habebantur. Locus certamini delectus et constitutus est in Pisaeo Peloponnesi tractu, cuius pars oppidumqve fuit Olympia, antiquo Iovis fano celebris, unde Iupiter Olympicus est cognominatus. Ager Pisaeus deinde Elidi attributus est, et exinde Olympia, quam Alpheus, clarus Peloponnesi fl. alluit, inter oppida Elidis referri coepit, *Vid. Strabo Geograph. lib. VIII. cum quo iungatur Pausanias in Eliacis.* Ex hoc colligi potest, Olympiam tam de urbe, quam de victoria efferri, Olympiae huius, et Milonis simul ibi stadium ingressi meminit Cicero in libro, qui inscribitur *Cato maior.*

§. VII. Ludi ipsi nomine Olympiorum celebrati sunt, qvos dudum a Piso, Pelepe et Hercule institutos, ac vitio temporum aliquandiu intermissos, in-

## VI. PROPOS. (DE PELOPONESO.)

65

instauravit Iphitus Rex Elidis, ab Heraclidarum stirpe oriundus. *V. Phlegonius Trallianus fragmentum de Olympiis, edit. Meursiana p. 137.*

§. IX. Etsi autem Olympiades multo sunt antiquissimae, tamen computatio, quae per rationes Olympiadum instituitur, serius adhibita, atque usum historicorum recepta est, quod primi antiquissimique Graeciae scriptores confirmant, atque inter hos in primis Herodotus et Thucydides, qui Olympia quidem commemorant, sed rationibus per Olympiadas confectis non utuntur.

§. IX. Postea vero, quam victorum, qui Olympionicae dicti sunt, nomina in tabulas referri coeperunt, certamina multis inde a prima origine seculis consignata sunt, atque adeo Olympionicae serius, et nonnisi ab instaurazione Iphitea, memoriam sui reliquerunt. In quo genere Timaei studium magnopere celebratum est, qui scribendis Victorum Olympicorum nominibus operam dedit. *De quo vid. Polybius, Diodorus et Suidas.*

§. X. Diu vero ante tempora Philippi Macedonis, Olympiades receptae, et computatae sunt, ut non fuerit causa, quamobrem Philippus Beroaldus, vir ceteroquin doctus et diligens putarit, omnes temporum rationes ante Philippi Macedonis tempora dubias esse atque incertas.

§. XI. In Creta autem, an in Peloponneso primum instituti fuerint ludi Olympici, contrariis plerique studiis certant. Non assentior V. C. qui existimat, primos in Creta et institutos, et editos fuisse hos ludos.

§. XII. Primum certamen Olympicum initum est anno M. 3208. P. I. 3938, post Troiae excidium A. 408, ante N. C. 776. cum Athenis Aeschylus, Lacedaemoni Alcamenes regnaret. Qui dissentiant, rationes turbant, et ex ingenio artem computandae Olympiadis fingunt.

---

## VI. PROPOS. (DE PELOPONESO.)

**P**eloponnesus, peninsula fertilis, et omni rerum copia affluens, primum antiquissimumque nomen Aegialeac tulit, quod ab Aegialeo Sicyoniorum Rege additum, usque ad tempora Pelopis retinuit: qui ex Phrygia oriundus, Hippodamiam, Oenomai Pisae Regis filiam duxit, socrusque, non sine dolo, in Olympiis sublati, regnum adeptus, insignem illam Graeciae partem, quae intra isthnum est, ab nomine suo appellavit. *Eusebius manifesto indicat, dictam fuisse Aegialeam, Chronic. lib. prior. Georgius Syncellus in chronographia, uterque Castoris fragmentum, quod de regno Sicyoniorum inscribitur, secutus. Dubia implicataque est Aegialei historia, quippe quae praecedit veros certosque Graecorum fastos, qui Olympiades dicuntur. Ut nostrae ratio-*

I

ratio-